

Pub. 20. num. 7.

23
FRIDERICVS WILH. PESTEL

I. V. D. EIVSQUE ET PHILOSOPHIAE MORALIS
IN ERNESTINA P. P.

ORDINIS IVRISCONSULTORVM ET PHILO-
SOPHORVM H. T. DECANVS

12
1752, 1.

EXAMEN PVBLICVM

VIRI PRAENOBILISSIMI

LVDOV. GODOFREDI HENKEL

HASSI

A. D. X. MAII CCCCCCLII. H. L. Q. C.

INDICIT

PRAEMISSA EST

DE

DOMICILIO ORIGINIS

AD L. PEN. D. DE SENATOR.

DISPUTATIO.

RINTELN TYPIS IOH. GODOF. ENAX A. T.

KOENFRIED
UNIVERS.
ZVHALLE

E o quemque loco apud Romanos in ius vocari potuisse,
quo natus esset, nascie debuisset, etiamfi rerum
fuarum alibi fecisset constitutionem, quod vulgo
traditur, plurimorum, veraque et magna eruditio*nis* laude
florentium, JCtorum assensu facilius, quam legum Roma-
narum *verbis*, earumue *tenore*, confirmaueris. Evidem
hanc doctrinam cum semper iudicauerim, a iuris Iustinia-
nei sententia alienam, multumque habere iniquitatis: ex-
stimaui, fieri posse, ut ea excutienda si minus ingenii, at certe
aliquam controvrsiae in medium allatae nobilis, et vberiori
meditatione dignae, gratiam a B. L. inirem. Sed nec satis
causa perspici, et argumentorum vis ponderari, potuerit:
nisi rem ab ouo tractare, hoc est, quam in primis in con-
stituenda *re iudicaria* rationem tenuerint Romani, et quam
parum cum hac conueniat opinio, in qua refellenda versa-
bor, praefari coepero.

Nihil in omni ciuitate optabilius, quam vt ius cuique
suum tam *incorrupte*, quam *prompte*, reddatur: ne ciues, iu-
stitiae fruendae causa consociati, res suas derelinquere,
quam mille deuorandis molestiis, sumtibus iacturae sup-
paribus, post longa temporis interualla, redimere malint.
Hoc regnantium est, edictorum prouidentia cauere, iu-
dicantium, religiose exequi, litigatorum, et, qui his ad-
sunt, aduocatorum, artificiis ac cauillationibus non im-
pedire. Curae fuit Romanis prompta iustitiae administratio,
cum *libera republica*, et III. prioribus post C. N. faeculis, ad
sumnum florem peruenisset iurisprudentia: quo deinceps
licet paulum exarescente, in eodem tamen instituto mansisse
Impp. patet e. g. *ex L. 1. 2. 3. C. Theodos.* ut *intra annum crim.*
quaest. termin. L. 7. D. de mun. et hon. quod seruauit et auxit
IUSTINIANVS in *L. 13. C. de iudic.* In hac enim triennio pe-
cuniarias, biennio criminales, cauiss finiri, iussit, ita qui-
dem, vt *triennii lapsus* totam cauissam perimat, propositis
varii iudicium, procuratorum, actorum, reorum, co-
ercitionibus, quorum culpa lis extracta fuisset. Vberius
haec exposuit WISSENBACHIVS *add. l.* quicum non sine fru-
stu



Et tu conferas CVIACIVM IX, 22. MATHAEVM de iudiciis disp. 5.
n. 19. seqq.

Iisdem decretis, de celeriori disceptationum forensium exitu, consequens est, quod, cum locum de *iudice competente* constituerent, ab illis provisum animaduertimus. Taceo, quomodo, cum eidem magistratui subsunt *actor* et *reus*, *locus* et *causa* iurisdictionem conluserint, neque enim id ad rem pertinet. Verum si aduersarii diuerso subsint magistratui, quemadmodum cautum fuit, ut *actor rei forum* *sequatur*, seu de *causa civili*, seu de *maleficio puniendo*, agatur, L. 2. 5. 6. C. de *iurisd.* ita in hoc ipso foro, in quo reum conuenire liceret, statuendo eam rationem inierunt, ut eo loco lis reo intenderetur, in quo celerior et *CAVSSAE COGNITIO*, ET REI IUDICATAE EXECVTO, haberi posset. Ne frustra haec nos sumissae iudices, fidem dictis, age, faciant exempla.

Cur enim in *foro domicilii particularis* quisque suo conueniendus est? nisi quod vbi sedem tabulasque habes, ibi defensioni maxime paratus videris, causa facilius instrui, controuersia finiri, exitumque deinde condemnatio habere, potest. Quamobrem nobis probabiliter praecipere videtur SIMON VAN LEVVEN cens. for. II, 1, 11. si duobus locis domicilium habeas constitutum, eo te loco conueniri debere, quo tum temporis, cum in ius vocaris, cum familia degas. Neque ab iisdem, quae commemorauimus, decretis in doctrina de *foro rei sitae* deflexerunt Romani. Nam in eo controuersias, de proprietate et possessione *rei immobris*, praecifice mouendas atque dirimendas esse, et concursum fori, quod e loco domicilii reus consequitur, non admitti, nobis videtur verosimilius arg. L. 3. ne vis fiat ei L. 68. de *rei vind.* L. 12. §. 1. de *reb. auct. iud. poss.* L. fin C. vbi de poss. L. 2. C. vbi in rem *actio*. Quid ita? Si apud eum iudicem lis intendatur, sub cuius iurisdictione bona sita sunt: id, quod extrellum est in iurisdictione, rei iudicatae executionem, facilius ab eo obtinueris, qui imperio suo rerum possessionem condemnatis auferre potest, adhibita etiam manu militari. Nec te sollicitet, quod in L. univ. C. vbi de hered.

ag. scriptum legitur: hereditatis enim petitio non est actio
mere realis, sed (si recta rem putamus via) mixta. Tan-
tum itaque abest, ut SCHILTERO exercit. ad D. XIII, 31. dif-
ferentiam iuris Romani et Germanici, (secundum quod la-
tissime patere fori rei sitae usum, firmiter non ita pridem
afferuit Ill. HOMBERGIVS) hoc in genere statuerint, assen-
tiamur: ut potius consensum vtriusque legum codicis esse
putemus hac in re manifestum. Sed de rebus mobilibus
idem tradenti DONELLO comm. I. C. XVII, 17. suffragari non
aufim, vt quem diserte refellant L. 10, 11, 12. de rei vind.
L. fin. C. ubi in rem act. a qua neutiquam abhorret L. 38. ff.
de iud. Cf. VINYVS sel. quaest. I, 18. Cum enim res mobi-
les arbitrio iudicis, in locum, vbi condemnatus est reus,
facile transferantur: apparet facile, rationem, cur in foro
rei sitae simpliciter agendum sit, superius allatam, ad res
mobiles non pertinere, et hinc in arbitrio actoris positum
esse, num in illo, an loco domicili, ius petere malit.
Porro quid est, cur in foro contractus causas disceptari
posse, constitutum sit, eiusque tanta vis appareat, vt ne
quidem priuilegio de non euocando munitum aduersus illud
esse quenquam, confirmet de LUDOLPH I, obf. 6. p. 33. seq.
nisi quod ibi, quae ad naturam contractus spectant, facilius
ad liquidum perduci, et causae adeo terminari, possunt,
vbi contractus perfectus est? Quid est, quod reus nec
in illo recte conueniatur, nisi istuc reperiatur, et sic manus
iniectione (arresto) iurisdictionem fundare possumus?
vel bona mobilia istuc constituta, et immobilia habeat sita,
quae auctoritate iudicis, eo absente, possideri queant?
L. 19. pr. et §. 1. 2. de iudic. Praeterea cur statutum est,
vt de quibusdam causis ad eundem eatur iudicem: quam quod
Ils hoc modo commodius tractari, celeriusque finiri potest,
atque sic prohiberi ne languescat iustitia, lenaque fori pug-
nemus arena. Non vgremus nunc, aut disputamus ver-
bofius, consequens iisdem non minus esse decretis, quam
L. 1. C. ubi de ratione, vt tutor in foro gestae administrationis
simpliciter conueniatur, excluso domicilio. Satis habemus,
animaduersionibns quibusdam declarasse, in definienda
fori

fori competentia, quantum ad reum, diverso magistratui
subiectum, id in primis efficere studuisse Romanos, vt ius
cuique suum quantocuyus, sed absque tumultuaria tamen
ratione, tribuatur.

At enim aliquis: immemores huius instituti fuerunt
Romani in definiendo foro, quod ex domicilio originis oritur.
Hoc enim duplex est, alterum *commune*, alterum *proprium*.
Illud ROMAM fuisse, in vulgus notum, de qua ob id ipsum
MODESTINVS in L. 33. ad *municip.* Roma communis nostra
patria est. De eadem sic RVTILIVS: urbem fecisti, quae prius
orbis erat. v. plura loca apud EZ. SPANHEMIVM orb. Rom.
exercit. I. c. 6. Poterat autem unusquisque, Romam pro-
fectus, ibi praesens, in ius vocari: extra quam si quis ius
domum reuocandi haberet, vt *legatus*, testis testimonii
dicendi causa istuc euocatus, et ita porro. Verum id
eximiis VRBIS insignibus annuimeratum fuit, vt ibi, tanquam
domicilium unusquisq; haberet constitutum, in tanto homi-
num confluxu ius peti et dari posset, nec opus haberet auctor,
in suo reum quemque domicilio persequi. De singulari ho-
minum ad urbem concursu testimonium denunciamus
SENECAE consol. ad Helv. c. 6. qui aspice agendum, inquit, hanc
frequentiam, cui viz immensa urbis tecta sufficiant. Maxima
pars illius turbae patria caret, in municipiis, coloniis, ex toto
denique orbe confuxerunt. Alios dicit ambitio, alios necessitas
officii publici, alios iusposita legatio, alios luxuria, opulentum et
oporturum vitiis locum quaerens, alios studiorum cupiditas, alios
spectacula, quosdam traxit amicitia, quosdam industria latam
ostentandae virtuti naeta materiam, quidam venalem formam
attulerunt, quidam venalem eloquentiam, nullum non hominum
genus concurrit in urbem, et VIRTUTIBVS ET VITIIS MAGNA
PRETIA PONENTEM. Quod ius, ex peculiari reipublicae
Romanae ratione ortum, nunquam in Germania inualuit.
Nam qui ad sedem regiam Augsfl illud accommodari
posse sentiunt, insignem turis publici produnt ignorantiam:
et qui ad urbem, in qua habitant principes imperii, id ipsum
applicant, institutorum, quae in singulis territoriis fer-
vantur, insigniter ignari sunt, et commentitia iuris pere-
grini

grini receptione se aliosque fallunt. Ex quo facile inteligitur, quid de iis tenendum sit, qui, si reus aufugiat in alterius principis territorium, eum *Romam* transferri debere, persuasum habent, hac egregia, si Diis placet, ratione comoti, quia Roma communis omnium patria sit. v. p. BARBOSA ad L. 2. §. legat. de iudic. FARINACIVS in praxi crim. qu. VII. n. 17. ARTH. DVCK de auctor. I. C. II. 3. n. 3.

Verum, vt ad caput caussae transeamus, ab eo, quod exposuimus, Romanorum consilio in constituenda re iudicaria, eiusque parte, *fori* scilicet *competentia*, nimum abire videtur, qui idem, quod de *VRBE* attulimus, de quounque loco, vbi aliquis in lucem editus fuisset, edue debuisset, *patre* aut *patrono* istic *cive* existente, obtinuisse, et ibi vnumquemque in ius vocari potuisse, mutato licet domicilio, sentiunt, dummodo motae actionis tempore in loco originis repertus fuisset. In ea opinione, velut indubitata, sunt LUDOVICI comp. D. tit. de iudic. §. 19. BÖHMERVS d. tit. §. 17. WESTENBERGIVS eod. tit. §. 86. VAN ECK princ. D.d.t.n.48. STRVV. exercit. ad D. IX. §. 18. ibique MULLERVS. Cf. HUBER. prael. add D.d.t.n.47. Taceo alias. Largior, *domiciliun* quoddam *originis* Romae cognitum fuisse, cum variis *commodis iuriibusque eximiis* pariter atque *oneribus*, ad locum restrictis, coniunctum, a quo *cives* et *municipes* vocari solerent *originarii*, idque tantum valuisse, ac valere etiamnum, vt a patre ad liberos tamdiu translatum censematur, quamdiu contraria voluntas non appareat. Damus praeterea, quamdiu in eodem *originis* domicilio permaneas, legibus te illius ciuilibus, disceptationum forensium ordinem praefinientibus, ecclesiasticis, sumtuariis, caeterisque fine exceptione omnibus, teneri. Ex quo consequitur, vt et *forum* esse quoddam *originis proprium*, voluntario, hoc est, non connato, sed electo, oppositum, non inficiemur, in quo non minus, quam *incola*, i.e. qui aliunde ortus istic vltro *domicilium* collocauit L. 139. §. 1. de V. S. 135. ad *mutac.* conuenire aduersarium, et conueniri, queas. Sed *perpetuitatem* huius ipsius *fori*, quam nulla tollat sedis in alium locum

cum translatio, Romanis placuisse, negauerim. Reete, an
secus, videamus.

Leges, quibus viri nituntur, a quibus dissentimus,
ad *domicilium originis* spectant, et coniuncta cum eo *munera*
personalia, non *forum*, seu *iurisdictionem*. Illis obstringitur
originarius, mutato *domicilio*, hac eximitur. Quod vbi
ostenderimus, speramus fore, vt caussam euicisse videa-
mur.

Sciendum quippe est, varia *munera*, *personalia*, *realia*,
mixta (quorum enumerationem videsis in L. 1. et 2. de
muner.) *incolam* pariter atque *originarium* subire oportuisse,
et vicissim utriusque licuisse, *praecipuis municipii*, vt ait *MODE-
STINVS* in L. 35. ad *municip.* in quo habitarent, vel ex quo
orti essent, quantum ad *honores*, aliaque commoda, vti.
Audiamus *GAIVM*, cuius verba habes in L. 29. ad *municip.*
incola et *bis* *magistratibus* parere debet, apud quos *incola* est,
et illis, apud quos *ciuis* est, nec tantum *municipali iurisdictioni*
in utroque *municipio* subiectus est, verum etiam *omnibus publi-
cis muneribus* fungi debet. Res ipsa declarat, haec de eo in-
telligenda esse, qui in duabus locis *domicilium* fixit, alte-
rum *originis*, alterum *voluntarium*; et utrumque continuat.
Sed plurimum interest inter *originarium* et *incolam*, quod ad
mutationem *huius utriusque domicilii*: haec enim eo usque
incolae permissa erat, vt, facta emigratione, vinculum cum
municipio, in quo habitauerat, viuierum tolleretur, seu
iurisdictionem speces, seu *munera*, aliaque onera pariter
ac commoda, incolatui cohaerentia. Id enim nobis firmi-
ter persuadet *MODESTINVS* in L. 34. ad *municip.* qui *incola*,
ait, *jam muneribus publicis destinatus, nisi perfecto munere, in-
colatui renuntiare non potest*. Ergo si fecerit imperata, abire
non prohibetur, et si abierit, ad *munera* non posse vo-
cari, docent L. 20. eod. tit. L. 1. C. de *incol.* L. pen. C. de *bis*
qui sponte publica munera subeunt. Contra ea *originarius*
legibus quidem, quas hodie dicimus, *statutariorum muni-
cipii*, quod deseruit, non tenetur, harumque contemplatu-
habetur pro alienigena: sed *muneribus personalibus*, *relicto li-
cet municipio*, ex quo ortus est, et *domicilio* alibi constituto,
oneras

onerari potuit: quod ipsum reipublicae Romanae rationibus
erat accommodatus, quam nostrae, cum olim in quasunque
migrare regiones, eidem omnes Imperatori essent
subiectae, quod hodie aliter se habere nouimus. Quorum
prius, nempe originarium discedentem pro cive et prouinciali,
quantum ad leges municipiorum, et prouinciarum, non
haberi, asserunt L. 5. ad L. Iul. repet. L. 33. et 34. de reb. cred.
L. 3. C. eod. L. 62. de contr. emt. L. 46. §. 2. de iur. fisci L.
57. de ritu nupt. Cur enim legum poenis non tenetur prouinciae
praeſer, de quo dd. LL. loquantur, qui *nuptias, foeminas, contractus*, interit cum *originariis*, in alium atque
eum, quo editi sunt, locum fortunas suas transferentibus,
nisi quod hi ipsi pars prouinciae amplius non censeantur?
Munera vero effugere nequit originarius, etiam si
difcesserit, sed quod ad illa *domicilium originis* est immutabile.
CONSTANTINVS Imp. in L. I. C. de municip. si quis
cum vel ex maiore vel minori ciuitate originem ducit, eandem
euitare studens, ad alienam se ciuitatem incolatus occasione con-
tulerit, et super hoc vel preces dare tentauerit, vel qualibet
fraude nisi, ut originem propriæ ciuitatis eludat, duarum ci-
vitatum decurionatus onera sustineat, in una voluntatis, in alia
originis, gratia. Add. L. I. seqq. C. eod.

Eandem fuisse iurisdictionis rationem, et huic subie-
ctum in loco originis mansisse, qui sedem mutasset, id
quidem haud ullius legis argumento probaueris: nos vero
aduersam ei sententiam esse veriorem, ex analogia iuris rectius
omnino colligere videmur. Aequumne enim est, ibi in ius
vocari imparatum, ubi nec penates habet tabulasque, quibus
caußam instruat, sed amicorum salutandorum caußam aliquan-
tisper moratur, ubi non contraxit, non habet bona sita, aut
constituta, non deliquit, non administrauit rationes alienas,
non agit, ut reconuentione pulsari queat? Romani,
vti a fundanda iurisdictione per ius sistendi (*arreſtum reale et
personale*) fuerunt alieniores: ita non passi sunt, tantam
vim putari originis, ut forum efficiat nullo modo mutabile,
et *municeps* istic respondere cogatur, etiam si hoc modo nec
celeriter controuersia difceptari, nec reus, ut iudicata fac-
ret.

ibus
cun-
sissent
rum
nun-
non
red,
i. L.
pro-
foc-
que
bus,
ean-
misi
nu-
quis
dem
con-
libet
ci-
alia

bie-
id
ero
ius
us
an-
aut
ie-
ni,
et
m
e,
ec
e-
t.
ret, compelli facile posset; ad quod tamen, ut diximus, in primis attenderunt. Nec parum ad rem facit *L. 190.* de *V. S.* cuius verba sunt haec: *prouinciales eos accipere debemus, qui in prouincia domicilium habent, non eos, qui ex prouincia oriundi sunt.* Quam ipsam legem eleganter illustravit *GOEDDAEV* in *comment. de verb. signif. p. 1090. seqq.* cui assentitur *NOODT. ad D. tit. de iudic. p.m. 153.* Nullum contra praefidium aduersarii praebet *L. pen. de senator.* quea sic habet: *PAVLVS L 41. ad edict.* *Senatores licei in urbe domicilium habere videantur, tamen et ibi, unde oriundi sunt, habere domicilium intelliguntur, quia dignitas domicilii adiectionem potius dedisse, quam permutasse, videretur.* Declarat haec quodammodo *HERMOGENIANVS in L. 23. ad municip.* *municeps definit esse senatoriam adeptus dignitatem quantum ad munera, quantum vero ad honorem, retinere creditur originem etc.* Nihil in *L. pen. nostra de perpetuitate iurisdictionis, sed de domicilio tantum originis, non de foro, immutabili, decernitur.* Confirmat nos in hac sententia *L. 2. C. vbi senator.* in qua statuant Impp. senatorem vel in vrbe, vel in prouinciis, *vbi layem foueant, aut vbi maiorem partem honorum habeant, et affidue versentur, conueniri debere,* nec de foro originis quicquam superad- dunt. Similia obuertimus *L. 6. ad municip.* *L. 7. S. 10. seqq.* de interd. et releg. *L. vn. C. vbi per tutor.* quas temere obiiciunt, cum nulla in illis fiat mentio iurisdictionis, certe nil dicatur, ex quo in perpetuum, mutata licet fede, illam perdurare, firmiter colligas.

Haec discutere visum est, cum examini sollenni Can- didati Nobillissimi nos praefari, moris et officii ratio postu- laret. Est is

LVDOVICVS GODOFREDVS HENKEL,
quem de vita, in hunc usque diem acta, haec suis ipsius verbis commemorantem audiamus:

Ego, *Ludovicus Godofredus Henkel*, natus sum die XIV. April. A. cl. 10 ec XXXI. Bischofshusae, prope Vizenhusam, Bischhusam vulgo locum appellare solent. Patrem habui **GEORGIVM PHILIPPVM HENKEL**, Conductorem bo- norum equitum Hassiacorum de Bischhausen, quem autem

fata mihi puerulo adhuc praematura, morte eripuerunt.
Matre adhuc vtr CATHARINA MARGAR. de SCHNEEN,
FRANCISCI GABR. de SCHNEEN, qui de praedio suo,
in Ducatu Goettingensi, sito, viuebat, filiam. Haec optima
Mater secundis nuptiis sibi iunxit IOANNEM CASPARI,
jam Administratorem praefecturae Rodenbergensis. Qui
fane, quod ingenue fateor, instar veri patris, se erga me
gerit. Nihil pater optimus, cum matre amantissima, ne-
glexit, quod ad instruētionem meam, tam in principiis re-
ligionis, quam scientiarum rudimentis, pertinebat. Eum
in finem priuatis praeceptoribus doctissimis integrerrimisque
semper vsus sum. Sed quia priuatis institutionibus publi-
cas praeferendas esse, crediderunt Parentes, a. clo lcc XLII.
mense Octobri, annum decimum tertium agentem me Pater
in illustrem prouincialem Saxoniam scholam Portensem,
prope Naumburgum, comitatus est. Vbi equidem tam
bona ea omnia, quibus iuuenes ad humanitatem imbui so-
lent, addiscendi occasio est, vt vix hanc scholam reli-
quissimam, nisi mutatio domicilii parentum aliud suassisset.
Illi enim, me admodum iuuenem adhuc tam dissiſt a fe-
locis commorari, aegre serebant. Finito igitur vno, quo
illue vixi, anno, vasa colligere et, domum reuerti, ab optimo
Patre iussus sum. Cellas Lüneburgorum deinde anno
clo lcc XLIV. mense Decembri missus, ibi scholam Senatoriam,
haud sane triualem, frequentau. Omnia ea ad-
discendi, quibus is omnino instruētus esse debet, qui aca-
demica studia rite initiare cupit, maxima ibi occasio. Non
desunt, neque linguarum, neque artium magistri peri-
tissimi. Literis elegantioribus hic loci per triennium, et
quod excurrit, strenue incubui, Gallicae aequae ac Anglicae
linguae notitiam ibidem accepi. Et quia a teneris inde
annis Themidi me consecrare, mihi animus erat, ultimum,
quem ibi commoratus sum, annum, in addiscendis iuris
principiis consumsi. Audiui enim virum doctissimum
TOPPIVM, tunc temporis Regiae Maestati Britannicae ab
Aulæ consiliis, nunc vero Iuris Professorem Helmstadiensem,
indicem suum iuris priuati explicantem. Ad altiora

pro-

proredi cupiens academiam Georgiam Augustam, quae
Goettingae floret, petii. A Domino D. RIBOVIO, fasces
tunc Academiae tenente die XXVIII. Apr. a. cloccXLVIII.
in numerum studiosorum sum relatus. Interfui ibidem
scholis philosophicis Celeb. HOLLMANNI. WAEHNE-
RVM audiui mathefin puram tradentem. B. CLAPROTH
ius Naturae et STRVII Iurisprudentiam Romano-Germani-
cam praelegens me habuit auditorem, et in pandectis aliis-
que praelectionibus habuiset, nisi mors praematura virum
Celeberrimum abstulisset. Illustr. GEBÄVERVM in Insti-
tutionibus Iustinianis atque iure Feudali praeceptorem
habui. BOEHMERI institutionibus in iure Canonico et
pandectis vsus sum. WAHLII lectionibus publicis in STRV-
VIVM interfui. A SCHMAVSSIO iuris publici principia ac-
cepi. Virum Consultissimum KAHLIVM, nunc Professo-
rem iuris Ordinarium Marburgensem, et Consiliarium Au-
licum, per semestre spatiun Hospitem, Patronum meum ad
cineres usque colendum, Elementa Heinemann secundum
ordinem Pandectarum conscripta, nec non MOSERI com-
pendium iuris publ. explicantem audiui. Secutus sum vi-
rum hunc Celeberr. mens. Octob. clocc L. Hanoviam, cum
ad iuris publ. Professoris munus subeundum, euocatus. Fru-
ibidem mihi licuit doctrina Viri magni nominis MOSERI,
qui tunc Academiam suam, quam, *die Staats- und Canzlei-*
Academie, vulgo appellabant, instituerat. Et KAHLIVM
ibidem, tam in rebus ad academiam pertinentibus, si scilicet,
quae ad statum publicum Germaniae spectabant, quam etiam
in iure Canon. quod nonnullorum desiderio commotus praef-
legebat, doctorem habui. Finito autem Hanouiae semestri,
quod ibi transmittere in animo erat, tandem ultimam limam
studiis meis adhibere mecum constitui. Inclitam igitur
hanc academiam Ernestinam adii, et die XIII. Maii anno
cloccLI. a Magnifice tunc temporis Prorectore D. ESKVCHE
in numerum ciuium academicorum sum receptus. Hospitio
et coniunctu Viri Celeberrimi Dni D. PESTELII Sen. Magni-
fici iam Academiae Prorectoris frui mihi contigit, quem et
iam STRVII iurispr. Rom. Germanic. Constat. Crim. Carol.

HEI-



HEINECCI Institut. COCCETI Hypomnemata iur. Feud. nec
non BOEHMERI introd. in I. Digestorum, docte, vt solet, expli-
cantem, audiui sedulo. Nec minus priuatissima eius insi-
tutione, non sine maximo fructu usus sum. Ducem etiam
habui Virum Consultissimum Dnum D. PESTELIVM iun.
tam in enucleando tract. BOEHMERIANO de actionibus, quam
ENGAVII iur. Germ. elementis tradendis, nec minus in MO-
SERIANI Compendii iur. publ. explicatione. Interfui etiam
eiusdem collegio pratico elaboratorio, vt et disputationibus
publicis ipso Praeside habitis. Iam vero excellentissimum
ICTORUM ordinem adii, obseruantissime ab eo petens, vt ad
examen publicum admitterer. *Haczenus ille.*

Ex salubri lege Serenissimi Principis nostri, id maxime
cauere volentis, ne vel serantur lites a malis cauillarum patro-
nis, vel confundantur, ab imperitis, et sic vtrōbique cliens
luat, vnumquemque, litigantibus qui in foro adesse
suo nomine voluerit, oportet peritiae suaē publice spectatae,
et ab alterutro ICTORUM Ordine probatae, precibus sub-
iungere documentum. Huic iussu obtemperatus Candi-
datus noster, cum peteret a nobis, vti in ipsius vires inqui-
rere velimus: diem ipsi diximus X. Maii, quo ab hora inde
VIII - XII in loco Confistorii doctrinam ipsius tentabimus
per varia iuris publici et priuati capita, et curatius pericli-
tabimus duce L. 31. de LL. et c. 33. X. de iure iur. ad quam
vtramque legem commentariolum, ab ipso exaratum, publice
ponderabimus. Interest vero nostrum, vt in hoc sollenni ne-
gotio religionis, qua Domino nostro indulgentissimo obli-
gamur, nos maxime memores fuisse, intelligent quam pluri-
mi. Quamobrem VIROS, HIS QVI LITERIS FAVENT, SVIS QVOS-
QE TITVLIS ORNATISSIMOS, in primis LEGVM CUPIDOS GE-
NEROSISSIMOS atque PRAENOBILISSIMOS COMMITTONES, etiam
atque etiam rogamus, eo, quem praefiniuimus, die, huic
actui legitimo maius decus exoptatissima præsentia sua
conciliare velint.

P. P. RINTELII a. d. VIII. Maii clo 1552.



Rinteln, Diss., A48-61



TA → OL nr 1+24 Shwilk



Pub. 20. num. 7.

12

7752,1.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Inches
Centimetres

FRIDERICVS WILH. PESTEL

I. V. D. EVSQVE ET PHILOSOPHIAE MORALIS

IN ERNESTINA P. P.

ORDINIS IVRISCONSVLTORVM ET PHILO-

SOPHORVM H. T. DECANVS

EXAMEN PVBLICVM

VIRI PRAENOBILISSIMI

LVDOV. GODOFREDI HENKEL

HASSI

A. D. X. MAII CICIDCCCLII. H. L. Q. C.

INDICIT

PRAEMISSA EST

DE

DOMICILIO ORIGINIS

AD L. PEN. D. DE SENATOR.

DISPVUTATIO.

RINTELII TYPIS IOH. GODOF. ENAX A. T.

